



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. III. De præcepto Charitatis, Spei, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Cap. III. De Præcepto Charitatis fidei, &c. 493

genere suo dicat illum modum operandi, quo homo ordinatè se habet respectu ultimi finis. Unde tempus mortis non potest excludere talem modum operandi.

23. Nec obstat, quod homo tempore mortis debeat habere maiorem curam suæ salutis, & proinde sequi, quod securus est, atque adeo probabiliores opiniones; quia hinc non fit, quod debeat amplecti probabiliores opiniones; nam eo ipso quod amplectitur probabiles, securus est, quod non peccet. Unde non minus curat propriam salutem, quam si amplecteretur probabiliores. Imò cum opinio probabilior non sit certa, ipsa quoque continet idem periculum; præsertim quia ex se potest esse falsa, sicuti est minus probabilis. At verum est, quod nulla continet periculum, quia nulla operatio ex opinione probabilis imputari potest, etiam ad minimum peccatum. Hæc Palqualigus.

CAPUT III.

De Præcepto Charitatis, fidei, &c.

I. BARON. II. **P** Ræcepta Charitatis, Fidei, Spei, cultus Religionis, aliarumque virtutum inter Christianos præcipuum omnino tollet, aut quod perinde est vim illis auferit, vel unum actum amoris Dei per totam vitam exigendi, etiam instante morte; quod verbis expressis tempus, & momentum non designant, quo illi actus sunt eliciendi, an vita Christiana prima institutione, an illius progressu, an ad finem.

2. Et potes cum conscientia securitate proferre, tolli à nostro Authore, vel diminui harum virtutum actus? legatur ipse, & incipiamus à fide, lib. 2. in Dec. c. 1 à n. 8.

FIDES.

3. TAMB. Num. 8. Vel primò sermo est de actu Fidei necessario necessitate salutis, & hunc quidem semel in vita elicere satis esse, modo vidimus num. 3. (cum Sanchez, & Aragonio) eliciendus autem est, ut primum propositi sufficienter sunt articuli fidei. Et paulò post. Cum igitur actus fidei ex necessitate salutis eliciendus sit etiam, ut notant Theologi, de necessitate præcepti, quia omnia obligamur facere, quæ necessario ad nostram salutem requiruntur, consequenter ad talem actum, quamprimum scilicet possumus, (id enim videtur requirere tanta necessitas) eliciendum obligabimur.

4. Vide igitur, Baroni, an tollat actum fidei, qui non solum ait, esse eliciendum ex necessitate præcepti, verum etiam de necessitate salutis, id est (ut loquuntur Theologi, de necessitate medijs, sine quo scilicet salus nullo modo obtineri datur? Sed pergamus ad reliqua.

5. TAMB. Num. 9. Vel secundò est sermo de actu Fidei ex necessitate præcepti, quo scilicet obligamur credere ea, quæ diximus num. 5. Sane nondum obviæ habui Doctores, qui id explicando, mihi satisfecerint; Unde omnibus perpensis, subdendo tamen, ut hoc, ita & alia omnia mea S. R. E. iudicio, puto per se, & directè nunquam obligari fideles ad credenda prædicta mysteria nec implicite, nec explicitè ex vi necessitatis præcepti fidei (nam medijs simul, & præcepti jam modo dictum est, quæ ratione semel, & ad quæ mysteria credenda sit obligatio) sapissimè vero obligari per accidens ex vi aliorum præceptorum. Ratio prioris dicti est, quia ut diximus in Opus. de exped. Sacrifi. (lib. 2. cap. 2. §. 16. n. 5.) nunquam præceptum aliquod obligat, nisi sit determinatum; cum enim non possit, ut indeterminatum exire in executionem, non censetur prædictè esse completum, taleque fuisse præceptum Confessionis, ut item Communionis extra mortis articulum, antequam Ecclesia determinasset tempus Paschale, ipsidem innuimus: ex Delugo de Eucharist. d. 16. sect. 1. num. 28. & de Pœn. d. 15. sect. 3. num. 39. de

Part. III.

numquam invenimus determinatum tempus esse, quo obligemur ad prædictum, (præter illum de necessitate medijs, de quo jam dictum est num. 3.) actum fidei eliciendum, ut ex num. seq. patebit; ergo, &c. Ratio posterioris dicti est, quia multoties occurrit, debere nos ad servanda aliqua præcepta elicere quosdam actus, qui necessario supponunt prædictum actum fidei, ergo tunc per accidens, ratione scilicet actus adiuncti, obligabitur fidelis ad eliciendum prædictum actum fidei, sine quo actus per se præceptus constare nequit. Hinc ex mox dicendis à num. 11. clarius intelligitur. Hinc vides prudenter Christum Dominum præceptum per se de prædicto actu fidei non imposuisse, quia satis, superque esse iudicavit actum fidei, & necessitate, (hoc est medijs, de quò supra) salutis, & insuper alios necessario prærequisitos ad servandis, ut dictum est, alijs præceptis.

6. Num. 10. Confirmatur primo nostra sententia; ex Azor. p. 1. l. 9. c. 4. q. 1. fin. qui docet, Charitatis præceptum tunc solum obligare, quando tenemur iustificari, & non habemus aliam viam, quæ iustificari possimus; quia hoc præceptum non videtur obligare, nisi ut medium iustificationis, vel ut dispositio ad illam. Hæc ex illo. Ex quibus colligo, similiter dici posse de fidei actu, & consequenter de actu spei; ut cum de Charitate agam infra c. 2. §. 1. n. 2. hoc me remittens, rursus innuam, & infra Cap. 3. §. 2. n. 2. non teneri scilicet nos ad actum fidei, & spei, nisi quando tenemur iustificari per contritionem, & ego addo, vel per attritionem cum Sacramento &c. atque adeo ratione alterius actus Virtutis, non autem per se.

7. Num. 11. Confirmatur secundo discurrendo per aliqua tempora, quæ nobis contrarij Doctores assignare solent huius obligationis. Primum tempus, quo fideles per hos Doctores obligantur ad eliciendum actum fidei assignatur ab Azorio p. 1. l. 8. c. 27. q. 8. quando obligatur quis gratiam per peccatum amissam recuperare, tunc enim non poterit actum v. g. contritionis, vel attritionis cum perceptione Sacramenti elicere, nisi credat, ea, sine quibus constare hi actus nequeunt; nisi enim credat in Deum, spem venia ab ipso sperando, nisi credat pœnis Inferni, cuius timore v. g. attrititur, nisi credat Sacramentum Confessionis, cuius perceptione liberari à peccatis intendis; contritionem, attritionemve dictam exercere non poterit.

8. Verum quis non videt, ut ipsemet Azorius videt, & fassus est, fidei actum tunc non præcipi, nisi ratione contritionis, vel attritionis, non vero per se? nam propterea bene infert Sanchez lib. 2. in Decal. Cap. 1. n. 3. fin. omittentem se tunc conterere, non peccare contra præceptum fidei, sed solum contra præceptum recuperande gratia, id quod verum est in alijs casibus, quoribus scilicet tale præceptum fidei ratione alterius actus, hoc est per accidens obligare, mox docebimus.

Num. 12. Secundum tempus assignatur ex Valentia 2. 2. d. 1. q. 2. p. 5. concl. 4. quando tenetur quis aliquid exterius facere, quod nequit commode præstare sine interno actu fidei, ut si teneatur ipsam fidem exterius confiteri. At ibid. idem Val. jam faretur, tunc non obligare præceptum fidei per se, sed ratione præcepti adiuncti, nempe confessionis exterioris. Imò addo, si quis merè exterius tunc fidem confiteretur, præstindendo ab omni actu fidei interno, jam satisfacturum, præcepto; id quod fortasse aliquibus Sanctis Martyribus accidit, quando toto animo intenti ad externam confessionem & ad tormenta patiendâ; minus ad actum internum fidei eliciendum, & cum externa confessione coniungendum, attendebant.

Num. 13. Tertium tempus simile huic esse potest, quando quis ex fidelibus obligatur iam factus capax rationis, scire prædicta mysteria, non enim commode scire ea poterit, nisi illis assentiatur; sed iam vides, id etiam esse per accidens ratione præcepti scindendi.

Num. 14. Quartum tempus ex Ledesma tom. 2. sum. tr. 1. c. 8. concl. 4. assignatur semel singulis annis, quando tempus præcepti Confessionis, & Communionis instat. Sed iam tunc non erit nisi ratione præcepti adiuncti, quod si

T t

alind

alium præceptum tunc agnoscat. *Legis gratia agnoscat.*

Num. 15. Quintum assignatur à Val. 2. d. 1. q. 2. p. 6. conclus. 1. Articulus mortis, quia tunc se debet Fidelis fidei actibus contra daemones in tanta necessitate munire, sed rellè Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 1. n. 3. id tempus reprobatur, cum nulla ratione, vel textu comprobetur.

Num. 16. Sextum assignatur ab eodem Sanchez ibid. quando quis gravem aliquem contra fidem tentationem patitur, tunc enim tempus est resistendi contrariis fidei actibus. Sed certè hoc etiam gratis dicitur. Primo, quia potest is, alio v. g. mentem divertendo, tentationi non succumbere. Ergo non habet necesse, per contrarium fidei actum ei tentationem obistere. Secundo quia nimis durum patienti tentationem fidei est, illum omnino sub mortali obligare ad contrarium actum. Certè tentatum ad odio habendum Deum non obligas ad contrarium actum amoris eliciendum, satis enim erit non consentire tentationi. Cur igitur obligabis in tentatione de fide?

9. Dices. Pone, aliquem non posse vincere tentationem contra fidem, nisi eliciendo actum contrarium, tunc is iam obligabitur ad actum fidei. Resp. tunc etiam esset per accidens, ratione subiecti sic affecti, vel certè ratione præcepti negativæ de fide non abneganda, non vero ratione præcepti positivi de actu credendo de quo hic signanter cum Doctoribus loquimur. Adde primo, hunc casum fore tam rarum, ut vix possit in moralem considerationem cadere. Adde secundo, quemodo sciet tentatus talem tentationem contra fidem non posse alius remediis, aliisque virtutum actibus vinci, sed solum actu contrario fidei? quis ei id revelavit? Ergo iam apparet, per tuam doctrinam scrupulos ingeri fidelibus, & nil prætere. Meam vero in simili approbat Castrop. tom. 2. d. 1. de orat. p. 8. num. 4. qui loquens de necessitate orationis sic habet. Nota, 16 ab hac necessitate in supradictis casibus contingere, excusari, quia obligationis invincibiliter obviaveris, cum nec cognoscas gravitatem tentationis, nec periculum, nec orationis necessitatem. Sic Val. Less. Suar. Hæc Castropalaus.

Num. 17. Septimum tempus assignatur à Bañez §. 2. quæst. 12. art. 1. dub. 2. quando adest gravis tentatio etiam in aliis materiis, tunc enim recurrendum est ad Deum, quod non potest fieri sine motu fidei circa ipsum Deum, ad quem fugi, non potest, nisi illi credatur. Sed iam vides, ut in superioribus dictum est, id esse ratione actus adiuncti.

Num. 18. Octavum denique tempus assignatur ab eodem Sanchez ibid. cum primum fides alicui sufficienter proponitur, quia cum actus fidei sit de necessitate mediæ, non est ratio, cur, quam primum non amplectatur. Sed hoc certè non negatur, ut num. 8. vidimus, cum id sit ex necessitate mediæ. At vero hic loquimur de necessitate præcepti dumtaxat.

Num. 19. Ex his duo illa num. 9. dicta facillè colligis, & sapienter per accidens urgere præceptum de actu fidei, & rationabiliter proinde præceptum per se, directeque exigens illum actum (præter illum ex necessitate mediæ dictum nup. §. non fuisse impossibile).

Hactenus de fide. Legatur nunc lib. 2. c. 3. §. 2. ubi agitur de obligatione præcepti Charitatis.

CHARITAS.

11. TAMB. Num. 1. Laborant Doctores in assignando tempore, quo debet Fidelis ex obligatione actum positivum amoris elicere circa Deum; variaque tempora, ut varia sunt ingenia hominum, assignant. Primum tempus quod aliqui assignant, est initium usus rationis. Secundum, finis vite. Tertium, tota vite indeterminatè sumpta, ut saltem semel in ea amittitur Deus. Quartum, omnes dies festivi, in quibus debemus specialiter Deo vacare. Quintum, tempus, quo adultus suscipit Baptismum. Sextum, tempus, quo quis suscipit Eucharistiam. Septimum, quando fortè sumitur martyrium.

Octavum, quando magnum à Deo accipitur beneficium. Nonum, quando audis aliquem contra Deum blasphemare. Decimum, quando gravi urgeris tentatione, perferens te convertes.

12. Num. 2. Mihi placet doctrina Azorij tom. 1. 9. cap. 4. quæst. 1. circa finem, qui docet hoc præceptum Charitatis impossibile fuisse ob iustificationem impij, solum igitur tunc obligare, quando impius, quia sacramentum Penitentia non est in promptu, non habet aliam viam, qua se iustificet, nisi eliciat actum contritum, quæ semper aliquo tandem modo actum amoris Dei per rationem suam iustificationis ad actum charitatis fideles obligantur. Vide supra cap. 1. §. 1. num. 10. Vbi idem loquendi modus mihi placuit de præcepto actus fidei, & Spei. Nam per ibidem dicta & confirmantur hæc Azorij doctrina, & impugnari poterunt tempora modo assignata num. præced.

Num. 3. Confirmatur, quia licet commandi formam Doctorum doceat, dari præceptum speciale de amore Deo in illis verbis Diliges Dominum Deum tuum, & alii, tamen non ignobilis DD. docent, hoc præceptum non esse speciale, & speciale tempore implendum, sed generaliter imbutum in omnibus præceptis. Sicuti secundum præceptum de dilectione proximi non est speciale, sed in Decalogo præceptis contentum, nam propriè dicitur in his duobus præceptis, id est dilectione Dei, & proximi, universæ lex pendet. & Propheta, & qui habet præcepta, servat eas, ille est qui diligit me, & plenitudo legis est dilectio. Si enim qui servat præcepta, diligit, quique diligit, servat; iam unum ex his continetur in alio, & consequenter præceptum Charitatis inditè solum, & ratione aliter obligabit.

13. Num. 4. Probabilis ergo, & tinnissima sententia illorum, qui negant fideles initio usus rationis (Sic Castropalaus tom. 1. tr. 6. de Charitate d. 1. p. 4. n. 2. cum Azor. Val. Sanchez. Suar. Coninch ab eodem cit.) Et sine vite, idem ibid. n. 9. cum Azor. & Sanchez ab eodem cit.) obligari ad se convertendum ad Deum, illum amanda. Patet enim eiusmodi obligationem, quæ certè sua natura solum non innititur, nihil aliud est, nisi scrupulus ingerere, non quidem indoctis, quia hi ad eam obligationem minus advertunt, sed doctoribus, &c. Lege Castrop. Azor. Sanchez modo cit. Hactenus Tamb.

14. Et sanè, Baroni, quandoquidem peccatores Auctores absque dubitatione legisti, & legisti item alios DD. ex Schola S. Thomæ valde favere prædictæ doctrinæ, ne dicam, eam aperte docere, inter quos Caietanus unus ex tuis sapientissimus Thomista docet 2. 2. q. 186. art. 2. ad hunc modum. Infra limites præceptorum communium modo servandorum, sublevar dilectio Dei super omnia, & Ioan. Henriquez Augustinianus, qui in Sum. 4. Hispanè, sed in latinum fideliter translatus sic ait. Probabilior, & magis literalis intelligentia de amore Dei est, intelligi hoc præceptum debere, transcendentaliter, respectu aliorum præceptorum, ita ut, quamvis sit ab aliis distinctum, tamen eius observantia includatur in custodia ceterorum. Quandoquidem, inquam, hæc legisti, est solum in meum Decalogi Auctorem tam duros invehentis hæc de Charitate.

Legatur denique Tamburinus lib. 2. in Decal. c. 2. §. 1. de obligatione actuum Spei.

S P E S.

15. Num. 1. Spes virtus Theologica est, &c. Duo sunt peccata commissionis contra ipsam, alterum per excessum, id est præsumptio, alterum per defectum, id est desperatio.

N. 2. Dixi commissionis, nam adest etiam contra ipsam peccatum omissionis, estque omisso sperandi dicta beatitudine eo tempore, quo urget necessitas illam sperandi. Id quod

Cap. III. De Præcepto Charitatis, fidei, &c. 495

quando sit, colligi potest ex dictis supra cap. 1. §. 1. à n. 8. de necessitate actus Fidei; cum ferme in iisdem casibus, in quibus urget actus credendi, urgeat regulatius, & sperandi, nimirum per accidens, & indirecte, nunquam autem directe, & per se. Ita Layman lib. 1. tr. 2. c. 2. n. 1. Sanchez in D. c. 1. c. 3. in 3. lege etiam Castrop. in 1. tr. 5. de virtute Sp. p. 4.

16. Hactenus Tamburinus de necessitate actuum Fidei, Spei, & Charitatis, quæ cum dicit, tollitne virtutum exercitium, quandoquidem frequentius, quam alij, eos actus multiplicari, contendit? An forte qui, indirecte id faciendum esse, monet, dicit, illud non esse faciendum? & oro te, ut in eas computum actuum harum virtutum iuxta sententias prædictorum Authorum, quorum quisque suum tempus pro dictis actibus definit, & confert cum illo actuum numero, quos indigitat noster Author; nam certe invenies multo plures esse hos, quam illos.

Non alia igitur ratione illa omnia, quæ Baronius brevibus illis, atque incisivis verbis attribuit Tamburino quispiam refellet, nisi naviter perpendendo, quæ ex ipso excerpimus. Unde is merito potuit signare illas sive clausulas, sive verba esse, quibus, frequentissimos actus virtutum ipsum velle, manifestè ostenditur. (Sapientissime obligari per accidens ex vi aliorum præceptorum. Item illa, quia multis occurrere debere nos elicit aliquos actus, qui necessario supponunt prædictum actum fidei. Et illa, ex his duo num. 9. dicta facile colliges) quorum primum erat, sapientissime per accidens, ratione scilicet actus adiuncti obligari fideles, &c. Et illud de actu fidei ex necessitate mediæ, &c.

Adverte autem, te non debere esse ita rudem, ut hoc per accidens intelligas, quasi contingenter, seu accidentaliter, & non necessario; sed eo modo, quo Author ipse, & doctissimus Azorius, à quo desumpta est hæc doctrina, se explicant; iuxta frequentissimum modum loquendi DD. id est, per alium, seu consequenter, seu in alio, seu in necessitate, qua unum in alio continetur.

17. Præterea de Charitatis actu notetur illa verba. (Præceptum Charitatis est generale imbibitum in omnibus præceptis.) Hoc Baroni, est tollere, ponere nimirum illud imbibitum in omnibus; & illa ex Christo D. (qui servat præcepta diligit, quique diligit, servat; item unum ex his continetur in alio) si ergo toties fideles diligere ex vi Charitatis debent noster Author edicit, quoties alia præcepta debent implere, sapientissime diligenter, & ferè in singulis horis, quia in singulis occurrunt non raro præcepta servanda.

Vtatur item alia ratiocinatione, seu magis explicatione. Aliud longè diversum est, asserere, tolli præceptum, aliud, illud transferri. Tollit, qui neminem obligat ad eliciendum actum, quem aliquod præceptum requirit. Transferri, qui ad illum actum eliciendum me obligat quidem; unde non tollit (sed obligat, ut eliciatur occasione alterius præcepti, quod non posset compleri sine illo actu.

18. Imò si id, quod dicimus, rectè intelligatur, non est propriè transferre, sed designare tempus, & occasionem exercitij. Patet id ex Authoribus citatis modo à Tamburino, nam dum Valentia vult, actum Fidei eliciendum esse, quando quis obligatur exteriori Fidem confiteri, non tollit præceptum, sed assignat tempus executionis illius. Et quando Ledesma vult, eundem Fidei actum esse eliciendum, quando quis debet Confessionis, & Communionis Sacramenta suscipere, præceptum non tollit, sed definit tempus, & occasionem, in qua ille Fidei actus est exercendus, &c. Ita nos, cum dicimus actum Fidei eliciendum esse, quando obligamur servare alia præcepta, quæ sine actu Fidei exerceri nequeant, non tollimus præceptum, sed assignamus tempus. Ex quibus vides, eum, qui censurat Taurinum, censurare etiam debere Valentiam, Ledesmam, illosque alios citatos, certè Theologorum lumina.

Part. III.

19. Dices hæc propositio. Fideles non tenentur unquam vitæ suæ tempore ellicere hos actus ex vi talium præceptorum, videtur malè sonare. Nec malè sonare tantum, sed etiam videtur tanquam scandalosa iam fuisse damnata à Sanctissimo Pontifice Alexandro VII. in decreto edito anno sup. mccc. 1665. die 4. Sept. quo damnantur saltem ut scandalose plures propositiones inter quas, ipso primo loco, hæc damnatur.

Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur ellicere actum Fidei, Spei & Charitatis ex vi præceptorum divinarum ad eas virtutes pertinentium.

Ergo non est defendenda.

Resp. Nec nos defendimus. Dicimus enim teneri Fideles sapientissime, hos actus ellicere ex vi divinarum præceptorum Fidei, Charitatis, & Spei; sed tempus eos actus exercendi esse quando servanda sunt alia præcepta. Unde posito quod Deus præcepit, ut hi actus elicerentur, quando alia præcepta servanda erant, noluit præcipere, ut insuper separatim elicerentur ex præcepto. Excipe iuxta supradicta illum actum Fidei, qui est de necessitate mediæ.

Atque ad extremum dico, auctoritatis nostri nomine, illum, pro sua in Sedem Apostolicam observantia, ei decreto se per omnia submittere: Quod si fortassis olim ante Decretum quidpiam scripserit, quod, sive quoad rem ipsam, sive quoad modum loquendi, videtur posse cum illo minus consentiens, illud non aliter, quam iuxta ipsius Decreti mentem accipi & intelligi omnino velle.

Explicatur magis illud (Per se.)

20. Dices iterum, hoc ipsum videri inconveniens, affirmare non per se, sed per aliud, seu in alio hoc præceptum obligare. Resp. Si nos diceremus, præceptum Charitatis v.g. per se, simpliciter, & absolute non obligare, sanè videretur inconveniens, sed nos cum S. Thoma mox proferendo, semper id dicimus cum addito, sic. (Non per se, sed in alio) quo pacto includimus illud (per se) non excludimus; & sensus genuinus est, quod eiusmodi præceptum per se in quo præcepto invenitur, ibique obligat. Sicuti præceptum attentionis in orando, per se obligat in communicare sententia licet obliget in alio, id est in præcepto orandi; sic nos dicimus, quod præceptum Charitatis (sicuti etiam Fidei, & Spei) proximè obligat per se, sed in illis aliis præceptis, quæ impleri nequeunt sine actibus dictarum virtutum, Quare in substantia præcepti ab opinione communi non dissentimus, nisi fortè in modo loquendi, qui tamen loquendi modus, sustinetur ab aliis Doctoribus, ut videbis mox num. meo 24. & 25. Et, cum etiam usurpetur à S. Thoma, non est, nisi valde commendandus: sic enim habet Sanctus Doctor.

21. S. THOMAS. Tercio Charitas, (ait. 2. 2. q. 44.) præcipua in omnibus virtutibus, ad quas ordinantur præcepta, si ergo de Charitate dantur aliqua præcepta, debent poni inter præcipua præcepta, quæ sunt præcepta Decalogi, non autem ponuntur; ergo nulla præcepta sunt de Charitate data.

Et paulo post. Ad tertium dicendum, quod omnia præcepta Decalogi ordinantur ad dilectionem Dei, & proximi; & ideo præcepta Charitatis non fuerunt commutanda inter præcepta Decalogi, sed in omnibus includuntur.

22. Quis autem ex eo, quod præcepta hæc includuntur in aliis, colliget non adesse absolute, & simpliciter eiusmodi præcepta? Pati ergo modo ex eo, quod dicimus, hæc præcepta obligare, & ita observari in aliis quis colligere rectè poterit, ea absolute, & simpliciter non obligare, seu non observari, atque adeo (ut cavillatur Baroni) ea tolli?

23. Hic etiam idem confirmemus ex aliis Doctoribus apud Leandrum in decem Decal. Prac. tract. 4. d. 1. q. 18.

An præceptum dilectionis Dei obliget per se, cum quis contritionem peccatorum habere tenetur extra Sacramentum?

LEANDER. Affirmant communiter Doctores omnes, obligare quidem hoc præceptum toties, quoties quis contritionem habere obligatur, eo quod hac sine actu Charitatis perfecta obtineri non possit. Unde solum erit difficultas inter eos, an obliget tunc per se, an solum per accidens ratione contritionis.

Negat tunc obligare per se Azorius, &c. Quem citat & sequitur Thom. Sanchez, etiam Fillius, Sylv. Egidius, Diana.

24. Et paulo post. Alij contra, dicunt, obligare quidem per se, non per accidens, eo quod tale præceptum institutum est, tanquam remedium ad iustificationem impij. Ergo per se tunc obligat ad elicientiam sui actus. Addunt, quod contritio est actus elicitus à Charitate; ergo quoties quis ad contritionem per se assequitur, etiam per se ad elicientiam Dei amorem. Ita tenet expressè Bonac. quem citat, & sequitur Trullench, sic etiam Navarr. Caiet. Tolet. S. Valen. Philare. Granad. & expressè Rocafull. qui Rocafull. addit rationem. Et ratio est, inquit, quia hoc præceptum includitur in contritione, & quando quis quidam assequitur, tunc obligare per accidens, tamen verius alij dicunt, obligare per se: quia tunc per se est necessarium habere actum charitatis, quod per se includitur in actu Contritionis. An tunc committeret quis duo peccata, non eliciendo actum Contritionis, Sanchez, & Fillius dicunt, non committere duos, quia non ratione sui, sed ratione alterius obligat actus Charitatis. Ego tamen duo peccata committere existimo, quia agit contra duas Virtutes Penitentia & Charitatis.

Ita ex Rocafull. Leander; qui tamen hoc ultimum non approbat; sustinet enim ipse cum Sanchez, & Fillius. Committi unum peccatum, quia licet duo sint præcepta, sunt in ordine ad unum finem, &c.

25. Advertit Lector, vel non esse novum prædictum loquendi modum, vel non esse magni momenti, si unum dicendi modum potius sequaris, quam alium?

26. Denique ne quis minus eruditus hæreat in aliquo ex prædictis, audi quid multi Authores habeant apud eundem Leandrum in decem Decal. Prac. tr. 4. d. 2. q. 11. qui, quamvis is ego non sequatur, faciunt maxime nihilominus ad institutum meum.

An hoc amoris præceptum obliget per se, pro aliquo determinato tempore.

27. **LEANDER.** Negabunt à fortiori Gaspar Hurtadus, Maldonatius, Iansenius, Ioan. Sanchez, Vazq. & Molina, qui, ut vidimus sup. quæst. 2. nullam obligationem specialem eliciendi actum amoris supernaturalis, agnoscunt. Negabunt & alij, qui id dixere, loquendo de obligatione, & præcepto eliciendi actum Fidei Theologicæ. De quo tract. 2. de Fide d. 2. quæst. 30. & novissime id negat Regius, &c.

Et apud eundem ibid., dicta q. 2. sic habetur.

An etiam sit speciale Præceptum de Amore proprio Dei.

28. **LEANDER.** Negandum videtur primo, quia in Decalogo non continetur tale præceptum. Secundo quia, &c.

Et paulo post. Propter hæc tenet Gaspar Hurtad., qui citat pro se Maldonatium, Iansenium, & Ioan. Sanchez. & ponet illum Vazquez & Molina, & D. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 1. ad 2. Hactenus Leander.

Hæc D. Thomæ verba modo ego depromptum, 21. & 22. meis.

Explicatur magis illud (quædo non est determinatum tempus implendi præceptum.)

29. Ad illud, quod notare videtur hic, & fortasse alibi Baronius, hoc est, quando non est determinatum tempus, quo aliquod præceptum est actu observandum, non inducere illud obligationem, donec ab Ecclesia determinetur; alia responsio ostendenda non est, nisi ad hoc spectata est sapientia, & quoniam, quia illum Tamburinus hic adducit pro sua hac doctrina, debuerat impugnatè accurate legere. Is ergo quarens, quandoquidem Sacramentum obligetur Missæ Sacrificium offerre iuxta illud Christi d. 20. de Euchar. n. 9.

30. **DELUGO.** Hoc argumentum retorqueri potest adversus P. Vazq. qui laudat probat. præceptum Christi de Confessione extra casum necessitatis fore omnino inutile, nisi simul præcipiatur Ecclesie, ut determinaret tempus illius præcepti divini, eo quod, seclusa determinatione Ecclesie, nemo posset scire, quando, aut quoties obligaretur ad confessionem. Unde insert. n. 9. Ecclesiam debere omnino determinare tempus præcepti divini. Similiter ergo præceptum Christi singulis Sacerdotibus imponit offerendi sacrificium, inutile foret, nisi ab Ecclesia singulis determinetur tempus, quo obligentur ad sacrificium. Nemo enim scire poterit, seclusa tali determinatione, quando obliget illud præceptum. Unde primo sequitur, Ecclesiam debere omnino illud tempus determinare. Secundo, quando ab Ecclesia non determinatur, prout de facto adhuc non est determinatum, Sacerdotes singuli non obligantur ex se, sed iuxta præcepti divini.

Idem DELUGO de Euch. d. 16. n. 28.

31. Hinc oritur dubium, quoties debet Eucharistia accipi ex Præcepto Christi, secluso omni alio præcepto Ecclesiastico. Aliqui dicunt tertio saltem, vel quarto anno, Ita Suarez, & alij. Melius alij, Christum non determinasse tempus, sed reliquisse determinandum ab Ecclesia, quando fidelium negligentia id exigeret.

Item de Pœnit. d. 15. n. 39.

Extra mortis vero articulum videtur satis, iuxta intentionem Christi, & iuxta conditionem huius præcepti (Sacramenti Penitentia) esse, quod Ecclesia imponat, & obliget subditos, ne diu negligant aut differant Confessionem. Ceterum immediatè, & per se non videtur præceptum divinum aliquo determinato tempore obligare, nisi radicaliter; quatenus voluit obligare, pro tempore ab Ecclesia determinando. Nec mirum, cum aliunde præceptum sit præmittendi Confessionem ad Eucharistiam sumendam, iam ex hoc capite obligantur fideles ad Confessionem præcepto divino, nec oportebat aliam obligationem seorsim adungere in ordine ad Confessionem. Hæc Delugo.

Vides, præter alia, quantum hæc doctrina favet modo loquendi Tamburini paulo ante explicato, quod nimirum aliud præceptum seorsim ferri non oportuit? Iterum tamen protektor, P. Tamburini nomine, illud, quod supra n. 19. sum protellatus.

CAPVT IV.

De Præcepto Orationis.

1. **BARON. III.** Et quam Christus esse perpetuum, & nunquam in corruptum orationis necessitatem, ferè negat.

Ferè negat Vbinam gentium sumus, ut tam manifestum infomium proferatur? Et fuit qui ex Censuribus hunc Baronij codicem approbavit, qui facultatem evulgandi concessit, qui distrahendi per Provincias permissum